DE MORIBVS ADOLESCENTIAE INTER STVDIA LITTERARVM REGENDIS PRAECEPTA VETERVM SALVTARIA EDIT

SIMVL

AD RENVNCIATIONEM

MAGISTRORVM

A. D. XXV. FEBR. A C. N CIↃIↃCCXXXXV

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

RITV SOLEMNI HABENDAM

RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

CELSISSIMVM PRINCIPEM

ILLVSTRISSIMVM LANDGRAVIVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES

GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE

ACADEMIAE CIVES

INVITAT

DECANVS

IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Pulcram nobis et ſanctam rem doctrinae ac litterarum reliquerunt conditores illius ſapientiae, quae aliquot ante hoc ſaeculum aetatibus illuſtrare Saxoniam prouidi numinis beneficio coepit. Plurimo illi ingenio ſcientia que, magno que rerum vſu ac prudentia viri, ſic recte conſtitutam numeris que ſuis perfectam, non diuinarum modo rerum diſciplinam, humanitatis que litterarum rationem veram, grammaticae rhetoricae que praeceptis bonis, verum etiam hiſtoriae, atque huius humanarum rerum philoſophiae, cuius tantopere nunc feruent ſtudia non recta, formulam profecto ediderant, vt errent, qui ab ea in multis recedunt. Iſtud autem magnis eorum laboribus, rara que ſapientia effectum, admonere nos debet, vt, quemadmodum ſenatores Romae olim frequenter aiebant, antiquis eorum moribus viuendum eſſe, qui e parua ciuitate tam magnam his ipſis moribus feciſſent, ita nos quoque eorum inſtituta et doctrinam, qui his factam et firmatam rem nobis tradiderunt, teneamus conſtanter. Quod ſi multi conſiderarent diligenter, plane que perſpicerent, aliam certe inirent viam ac rationem ſtudiorum, quam ineunt plerique. Nam neque noua ſemper inuenta, nouas que tabulas, meliora que omnia, vt recentia, fallentes ac falſi crepanent, neque contemnerent ſcita maiorum incognita: ſed rem egregie conſtitutam e libris diſcerent ante, et ſpectatam ſeruarent, exprimerent que imitando eorum virtutes. Noua autem illi maxime iactant, qui, manifeſta inſcientia, monumentorum ſuae doctrinae legerunt paene nihil: quibus propter imperitiam litterarum ac rerum, etiamſi vellent cognoſcere, occluſi eſſent libri. Hi nobis narrant hac verecunda fronte magiſtri egregii, noua ſua eſſe praecepta, ac ſola bona: nihil eiuſmodi vnquam ſcriptum aut cogitatum fuiſſe. Ita que praeclara vetera conuelluntur: noua deteriora et infirma, ſed imperi-

peritae multitudinis gratiam habitura, proponuntur: turbantur re incerta ſtudioſorum hominum animi: auctoritas doctrinae et quidam principatus intellegentiae honeſtus amittitur: iacet ingens illa dignitas litterarum vanis rebus oppreſſa. Ad vltimum hoc quoque per iſtam arrogantiam damno publico efficitur, vt ne facies quidem ſapientiae aut litterarum agnoſcatur, quando facile, eo mimo introducto, tirones doctrinae veteranos, perſonati veros antecellunt. Quam rem quidem ſapientes ac docti homines ipſi modice ferunt: adoleſcentes artium ac ſcientiae cupidi grauiſſimam experiuntur. Pereunt enim hac prauitate iudiciorum notae certae ac veſtigia exemplorum, quibus cognitis ac perſpectis incitari ac deduci eos ad verum oportebat. Quis vero iam nunc adoleſcens legit atque introſpicit illa optima felicis ſaeculi, et neceſſaria huic praeſenti formulae litterarum, noſtrae que ciuitati, monumenta? Namque quid aliud agitur huius nouae ſapientiae praeceptis, niſi vt illos veteres libros, vt imperfectos, et parum ordinate ſcienter que compoſitos, e manibus emittamus, ſpernamus que maiorum inſtituta? At tamen illorum, qui vtriusque temporis monumenta cum cura, iudices ingeniorum idonei, legunt, nemo eſt adeo peruerſus, quin illorum veterum ſimilis eſſe mauelit, quam horum, qui eos prae ſe contemnunt. Ego vero, dum vtriusque generis opera diu multum que conſidero, dum nihil cupio detractum temporis noſtri decoribus; dum faueo rebus praeſentibus, eas que cum praeteritis ita compono ac dimetior, vt velim a noſtris illa ſuperari; non poſſum tamen vel illa deſpicere pulcherrima, vel iſta admirari vana. Quid, quod plurimae fuerunt in illis artes, quae in his non inſunt: tum aliae, quas hi recentes ſibi vnis ac ſolis tribuunt, negant illis, quia in diuerſo dicendi genere eas non perſpiciunt, multo olim illis adfuerunt maiores integriores que. Modeſtia quidem certe mira, et caſtigata ſimplicitas, et ſapiens vitae communis in omni doctrina reſpectus, quae apud hos illis obſunt bona, quia minus ſubtiliter deducte que cogitata putant, quae ſunt ſecundum naturam perſpicua, humilia autem ac protrita, quae non ſunt glorioſe inepta vanis que promiſſis hiantia, quam ſunt honeſta, eius que temporis propria ſcriptorum? Tabularum quoque, quae ſtudioſis hominibus conuocandis, aut adhortandis, publice, edicti que in morem, proponi ſolent a publicae docti-

doctrinae professoribus, quae que programmata vulgo appellamus, vt honesta, vt simplicia, vt non arcessita eo tempore argumenta sumserunt? Nam Germaniae tunc vere praeceptor Philippus, alii que, qui eius auctoritatem secuti in eodem negotio versabantur, nihil prope aliud his scriptis edixerunt, quam quod esset aptum vitae ac moribus scholasticorum hominum regendis. Sic autem contente ac probe rem doctrinae habebant, sic aperte liquidas instituti sui rationes edebant, facile vt appareret, quam abessent in magna rerum plurimarum scientia ab omni eius ostentatione, quam que commendatam sibi haberent rei communis curam, cuius summa in animis ciuium moderandis versatur. Modo enim disciplinae honestatem ostendebant integris: modo raptos in transuersum a temeritate, ab alea, a grassationibus, ratione, vel exemplis, reuocabant: modo vitam studiosorum hominum praeceptis editis sic instruebant, vt ne valetudinis quidem inter legendum scribendum que tuendae necessariam omitterent curam. Nostrae contra aetatis litterati viri his in scriptis proponendis longissime absunt ab illa simplicitate. sed argumenta velut extremo scientiae ab orbe repetita maxime deligunt, per quae admirabiles potius fiant, quam vtiles tironibus, veteranis autem suae quisque artis, quibus vnice se iactant, conspicabiles. Nos in praesens his suas glorias, quas non appetimus, relinquemus: illorum, si non assequimur doctrinae constantiam, alias que in multis raris que litteris virtutes, at probam istam modestiam imitabimur, simplicitatem que praeceptorum. Dicemus autem strictim, quia de ratione studiorum multi scriptis, nos que ipsi sermonibus, non absona a saeculi captu, alio tempore, de quo, quantum scio, pauci, atque olim in re alia praeceperunt, de vita et moribus adolescentiae inter studia litterarum regendis, in ludis praesertim illis, quos a dignitate quadam, atque a magnitudine, quam habet virtutis inter multos communitas, artium bonarum ac litterarum omnium Vniuersitates appellamus. Sed eam sequemur in scribendo rationem ac viam, quam nuper seruauimus, cum idem argumentum declamando exsequeremur. Non erit propterea laborandum, quoniam in rebus necessariis, nec speciosis, neque gratiam magnopere ad populum habituris, fide opus est integra, ac rerum vsu non nullo: doctrina multiplici non est opus. Quamobrem vos, quorum negotium iam nunc feruet in hoc honesto

doctrinae ſtadio abſoluendo, quorum eſt fortaſſis haec opinio, vt quorundam capti ingenio mediocri atque acumine, veteres eas doctrinae rationes, tanquam exiles et imperfectas, temere contemnatis; at iudicium eorum, at fidem, at vſum, virorum experientium et grauiſſimorum, ne contemnite. Meminiſtis, quemadmodum Dulichio viro, non ignoto, Vlyſſi, cum dubius eſſet, quid inceptaret poſt longos errores, Horatius Tireſiam ab inferis excitauerit, qui ei futurae inter Ithacenſes vitae rationes miras ac varias exponeret. Ad eum modum fingite vobis, de vita hic agenda conſultantibus, vel ab Albi Philippum, virum bonum, vel ab ipſis Pliſſae praeterfluentis ripis, amicum eius, Ioachimum, popularem meum, ſuſcitatum interuenire. Fingite vobis, videre illos, quid nunc rerum vtilium in communibus ſtudiis geratur. Fingite, ſententiam eos de actis agendis que dicere. Non eſt dubium, aptiſſima ciuitati noſtrae, atque huic virtutum ac ſcientiae communitati, quam ſuis curis, ſuis vigiliis genitam recordabuntur, ſalutaria, vobis que vtiliſſima conſulturos eſſe. Quaedam illi agnoſcent, vt ſuis ac veris inſtitutis conuenientia: quaedam noua non aſpernabuntur: in quibuſdam maiorem deſiderabunt diligentiam, quaerent que cauſſas, cur a probe conſtitutis deſcitum ſit hoc tempore. Praeſertim veſtram vitam intuebuntur, indolis praeclarae et voluntatis optimae ſigna in multis agnoſcent ac laudabunt: ſed vicem plerorumque, qui in magnos errores iuuenili impetu abripiuntur, dolebunt: a vanis promiſſis vt ad veram ſcientiam vos reducant, cogitabunt: moribus potiſſimum aliquam meliorem regulam praeſcribent. Hanc autem propemodum formam diſciplinae ob oculos ponent, quam infra, tanquam quibuſdam legibus, inuenietis declaratam. In aditu ampliſſimi ad virtutem atque ad honorem conſequendum ſtadii ſcripta apparebunt quaedam his verbis. Hoſpes noſter, ad ſocietatem doctrinae qui accedis, ſupremi numinis auxilium implorato. Res honeſta eſt, et magna: ſed anceps: incomitatus ne venito. cuſtodibus ſeptus adito. Sin ſolus venis, adoleſcentiam tuam ſub iuuenilibus animi proprii arbitriis ne habeto: praeceptorem aliquem vnum, vitae que regendae magiſtrum fidum, cum cura hic legito. Nimirum adoleſcentia, quae ſine cuſtode nunquam eſt relinquenda, tanto magis eget hodie aliquo monitore, quo citius cruda parentum e ſinu dimittitur, quo liberius habetur, quae olim adulta veniebat, et

ſtrictio-

ſtrictiore diſciplina tenebatur. Sed hoc tempore, ſub imagine cuiuſdam vrbanae comitatis paene ſoluta facilitas, admonendi vſum ac ſeueritatem iuſtam amolitur. Ita que monitor ille, ſiue amicum aetate ac meritis maiorem dicere mauelis, non ex opinione doctrinae legendus eſt, ſed ex fide, ex integritate morum, ex vſu rerum, quem habebit, ex beneuolentia, qua te complectetur. ſiue ille ſit neceſſarius tuorum: ſiue amicus paternus, ſiue alius, ad quem te deduxerit vel notoris boni interceſſio, vel epiſtola amici, vel fama denique honeſta. Epiſtolas ad bonos virorum bonorum, qui te illis, quem puerum nouerunt, tradant, hoſpes aduena ne neglegito. notorem aliquem, qui te deducat, habeto. amicitias grauium virorum claras, non aequalium, ambito. adoleſcentiam tuam, non ſalutator officio, ſed verecundia ac dexteritate, eorum in familiaritatem inſinuato. Illa praeſcripta ſi fient, multa ſuadebit recta hic praeceptor ac monitor, etiamſi rudis ſit litterarum: multa eius conſcientiam veritus vana ac nocitura omittet adoleſcens: tum illi, qui prouehere ad meliora ſtudioſos artium poſſunt, eius fidem intuebuntur. At is familiariter cognitos adoleſcentum mores habebit, pleneque eos adiuuare teſtimonio poterit ſuo. Quod ſi quis haud alioqui malus cuſtodem oderit: incognitum ſe abdiderit: amicitias claras contemſerit: ei continget, vt experimento diſcat, quam vere Horatius dixerit, Parum diſtare ab inertia ſepulta virtutem celatam.

Vbi aditus his rebus apertus fuerit, ſunt alia praeparanda, et meta quidem initio ponenda eſt ſaxea atque immobilis, certus que finis cum honeſtate coniunctus, quem vnum animo ſpectes. atque iſtud curabitur his maxime legibus. Propoſitum aliquod ſtudiis, tiro, ſtatuito honeſtum: purum ab omni cupiditate: non temporis, non fortunae, ſed perpetuum. virtutem ipſam, doctrinam, artem, animo ac ſpe comprehendito: non curiam, non ſcribatum, non praeconium. Quaeſtum in re tam ſancta ſi ſpectes, piaculum committas. facito officium: quid te futurum ſit, deo permittito. Veriſſimum eſt enim, ſi virtutem aeſtimaueris ſolam ſua pulcritudine, non quaeſtum, quantus ex arte quantilla venturus ſit, te eo peruenturum eſſe, quo recta contenderas. Nimirum ſcientiam conſequeris, ac dexteritatem ingenii, et virtutem quamcunque. Ex his, earum natura, praemia dulciſſima, vbi deus voluerit, exiſtent. Sin

oculos conieceris in rationes, et in consilia quaestus faciendi, et illa non assequeris, quae spectas, sunt enim incerta, et haec honesta scientiae studia, illis inimica, corrumpes, et ad virtutis metam, quia non recta contenderas, venies nunquam. Adeo hoc verum est, nisi quadam imagine virtutis, ad praeclara atque ardua petenda neminem perduci, vt omnes in quauis arte artifices summi, hac vna specie, non quaestus cupiditate, incitati deprehendantur. Turpissimum est vero istud, quod multi faciunt, qui sic a nobis scientiam petunt peratim, si liceat in ioco Comoediae expressum vsurpare vocabulum, quemadmodum mercatores vinum e mercatu culeis, vt mox in sextarios et cyathos emtoribus diuisum cauponentur. Metuunt enim hi non aliter, quam illi, ne coemant, quod deinde inopia emtorum diuendere non possint. Computant ad summam, quantum cui tempori, quibus hominibus, sit suffecturum. Scilicet iuris diuini ac humani non amplius amphoram petis: minus etiam, si qua ars sit recondita ac rara. Quis enim requirat? quo tibi scientia, si emtorem non inuenerit? possit eius aliquis congius reliquus fieri, qui corrumpatur. At tu artem totam eme. Siue enim totam sumas, seu partem, mihi tantundem sit reliqui. Erras, si diuidis. auehi per partes non potest. At nimis est magna. vita hominum breuis. vix eius partem capimus. praeterea incerta est Fortuna: quid ea ferat, quantus rerum, vbi offenderit, vsus sit futurus, nescimus. Vellem parare tantum scientiae, quantum opponere Fortunae, cum venerit, vtiliter possim. Vana sunt ista imperitorum cogitata. Doctrinam atque artem, qua patet in homine, totam tulerunt multi item mortales: et tu feres modo tuo, cum volueris. Fateris incertam esse Fortunam: itaque te ad eam ne compone, quam, qualis sit, nescis. Compara te ad virtutem, quam scis certam esse ac plane pernoscendam. Vbi illa te offenderit, oppone quod habes: reliqua non corrumpentur. neque illa prima vtiliter collocata ad te peruentura erant sine his reliquis. Doctrinae quidam circus aperitur, qui ambitu absoluitur e multis artibus conflato: quem nisi a carceribus ad metas circumeundo decurris, nihil agis. artes, e quibus componitur, omnes sunt attingendae. in parte nullum est stadium. Sed potes tunicatus velitaribus sub armis decurrere: potes grauiter armatus in equo: potes in quadrigis. Sic omnis est amplectendus scientiae ambitus, siue leuiter omnem

tangas,

tangas, ſeu diutius immoreris. Vtrum horum velis, tua eſt electio. tantum licet. partem inde capere non licet. Eiuſmodi ex monitis porro exiſtit haec noua cautio. Studium habeto peculiare quoddam honeſtae artis, quam praeſertim diligas: in qua excellenter praeſtes. aliter ſi feceris, ignauus cenſetor. Prauorum in vana cupiditates, bonorum virorum ſtudia rerum bonarum ſunt. Ex his ſtudiis nonnnihil plerumque emicat et fertur in artificium quoddam a virtute non alienum. in hoc ſibi placet et adquieſcit ingenium. Declamat alius, alius verſus facit, gramina legit alius, alius aſtra deſcribit. Veternoſa eſſet et inſipida ſine talibus ſtudiis vita: at ille oſcitator, qui hoc ſuo ſtudio et labore, in otio atque in negotio ſe oblectans, aliquid magnificum non efficeret. Etiam de tempore eſt, quae infra ſcribetur, lex obſeruanda. Doctrinae ſtadio iuſtum tempus ex arbitrio experientium virorum praefinito. neceſſariorum ambitionem precibus, obſequio, induſtria corrigito. Videndum eſt autem, vt temporis impendendi certa ratio conſtet. neu, coarctato eo, cruda in forum ſtudia protrudantur. Sequitur aliud de ordine praeceptum. Diſcendorum corpus in certa penſa diſtribuito. annum conſilio praeceptoris diſponito. depenſi aliquid ſemper habeto. Optime veteres in profligatae vitae hominem dicebant, nihil eum habere penſi, quod ageret. Adeo ratio ac modus ſtudiis praeſcriptus vitam omnem aut ornat, aut corrumpit. Verum iſta ſcientiae parandae legibus propiora poſſunt haberi, quam animi morumque regendorum. Ponemus alia magis expreſſa. Peregrina, ſtudioſe, ſectator muſea. officit caelum diſciplinae patrium. Docent externa, frangunt que feros animos nouitate, labore, contumelia ſalutari. Corpus, tiro, durato, multumque grauiterque exerceto. nihil timide, impatienter, otioſe agito. parcus cibo potuque, dure cubato: ſua quieti tempora, ſed arcta, dato. Nimirum fortes animos ac durata labore corpora non haec minus tetricae Mineruae militia, quam Martius furor, poſcit. Fidus eſt ac foetus rerum bonarum in omni fortuna fundus, corpus validum. Sed plerorumque adoleſcentum in manu eſt ſitum, qualia velint ſua corpora eſſe in ſenectute. Erunt patientia aeſtus ac frigoris: non grauabuntur ſolem ac puluerem: inediam facile tolerabunt ac vigilias, ſi a teneris adſueuerint: ſi duram parentum non imperitorum diſciplinam, permiſſa in ludis plerisque vmbratilis

 deſidia

desidia, non subuerterit. Vtile erat propterea versari diu sub sole studiosos litterarum adolescentes, haberi que aliquo tempore sub pellibus, lucta et cursu contendere: quo munia vitae varia firmiores capesserent: quo defaecatior in corpore sano mens esset; si saeculi mores corrupti praecepta virilia ferrent. At nunc aut parentes ipsi frangunt indulgendo, aut illi inter externos sine paedagogo destituti, foco calente et vmbra, et calda toto die bibenda, aliis que id genus prauis, vt concessis ac necessariis rebus, sine modo vtuntur. interdiu quiescunt: noctu cum libris vigilias continuant, et, ne somnus obrepat, caldam suffundunt. Quae res cum cruditatem, alia que mala, ventriculo creat, tum totum corpus emollit ac vires extenuat. Sed corpore debilitato mentis aciem obtundi, et citam senectutem existere necesse est. Alitur autem ac sustinetur animus prospera valetudine membrorum. Nunc validum corpus redditur non indulgendo, sed patientia certando contra aestum et frigora, interdum inediam tolerando, mox vigilias; versando interdum in itinere, mox operi domestico diutius insudando. His omnibus est cum ratione modus adhibendus, ne aut extrema existat fatigatio, aut lucubrationes cum vigiliis frequentes, aut soluta atque inordinata vicibus suis vita. Voluptatibus vero concessis hae propemodum cautiones, quem ponere finem debeas, docebunt. Oblectamenta e rebus pulcris ac liberalibus capito. in studiorum quadam varietate inuenito. quae coniuncta sint cum aliquo labore, ea maxime deligito. non nullum futurae vitae vsum effectis respiciunto. vana ne sunto. malefica ne sunto. vtro que alea quia peccat, eam fugito. Voluptatis omnis vsum intra breues terminos coerceto. permissa sibi et continuata cito corrumpitur. Desidia, gula, potandi certamen, oris aut narium delinimenta inania, ne te captent, caueto. aliquos natura inseuit necessarios appetitus: praeter hos alios nouos saeculi ritu ne contrahito. Venerei Cupidines dignitatem vt reuereantur Musarum, vt absistant, assiduitate studiorum et grauitate facito. Ratione omnia moderator: adsuetudine rerum talium ne tenetor. Etenim certe erectas ac sublimium rerum studiosas mentes humile opus aut illiberale voluptatis capiundae caussa detinere non debet. Dulcissima autem oblectamenta in ipsis artium studiis insunt, eorum que varietas id, quod dicitur, ludus est. Quae

animum vna iuuant exercentque cum corpore, praeparantque nobilibus vitae futurae officiis, ea longe sunt optima: altera, quae corpus dumtaxat exercent: tertia, quae corpore omisso adquiescere animum leuiora tractando faciunt. deterrima, aut potius nulla sunt, quae corpoream vim deliciis mulcent ac frangunt: animos ad cupiditates incendunt. In aditu virtutis labor est, ac tendentium ad eam laus est prima, opere iuuari, amiceque ferre sudorem et egestatem, quae pulcro vocabulo φιλοπονία est. Talia erant fere Spartanorum olim adolescentum oblectamenta. Vana contra ac vitiosa fuerunt, Lydorum: deterrima, Sybaritarum. Equo scienter vehi: in gymnasio decurrere: luctari: arma tractare: habent haec hodie quoque locum aliquem ac nonnullum vitae vsum, quanquam corruptius vulgo discantur, quam id oportebat. Meliora sunt litterarum studioso: in itinere esse, ac deambulationes fieri non breuissimas, quibus naturae opera, aut monumenta ex historiis clara, contempletur; quibus herbas nobiles et gramina quaerat: quibus lapidum ac venarum metalla intellegenter suis locis nata inueniat. Praeterea aget interdum noctem peruigilem astrorum in scientia de caelo stellifero discenda, aut alia id genus honesta meditatus in opere artificii cuiusdam exercebitur. Ludorum sunt alii tales, vt actiones statusque membrorum firment, animum pascant, fructum dexteritatis cuiusdam in vita ferant: qui proprii studiosorum. Alii puerilis operis naturam habent, vbi, cum diu laboretur vanis curis, opus factum non apparet. Ad eos ludos parcissime accedere adolescentes velim. Hoc enim vnum habent tolerabile, quod pars melior eorum, nullo alio fine, tantummodo exercet: deterior, adquiescere animum fatigatum negotiis in re leui finit. Est enim locus dandus, in quo sapiens quoque interdum sine vitio desipiat, stultitiamque consiliis misceat breuem dumtaxat. Verumtamen adolescentiae ab his plerumque cauendum est. Fiunt enim ex hoc puerili negotio studia saepe praua et cupiditates immensae. Sequitur tertium ludorum genus, veterum e sententia iam plane illiberale, quae vno vocabulo ab eis alea appellatur. Est autem istud inimicum fere honestis ingeniis. Nam quaestum prope solum respicit, et Fortunam, tanquam aliquod numen, semper sectatur: tentat et conuellit animi statum: auaritiae, aliarumque cupiditatum, quidam fomes est: crudeles in imperitos insidias, ac toleratam

 quibus

quibusdam in ciuitatibus piraticam, exercet, honoris, ac liberalitatis vocabula, et verecundiam ſuam animis infirmis, vt acerrimum telum, admouendo. Tu ne ſic honeſtus, ſic affluens rebus omnibus, aliquot iactare aureos amicorum in gratiam dubitas? Hos quidem iactus eripuit, aut fruſtrata exſpectationem tabellae pictura. Experire in alios meos tanto plures. Potes hos, et aceruum hunc totum, auferre, modo animus adſit. Commune eſt aleae, vt Martis, numen. Sic hominum cupiditates prauae incenduntur: iacturae magnae fiunt. Hoc genus ne attingere quidem adoleſcentes noſtros velim. Remota ſit eorum vita a tabernis meritoriis, ab oenopoliis, a thermopoliis, a nocturnis graſſationibus, a decurſu incompoſito in cantheriis, ab omni petulantia ac libidine intemperata.

Eſt etiam in vita honeſte agenda impenſae habenda ratio, et viatici vſus periti cuiuſdam monitoris conſilio bene adminiſtrandus. Cui rei praecepta poſſunt poni in hanc ferme ſententiam. Vt facile viuas, vt expedite, ſtudioſe artium videto. curas amolitor. ordine ſumtus probe explicato. Fiet iſtud vero, ſi pecuniaria res difficultatem nullum habuerit, quod non magnitudine viatici vlla conſequeris, ſed ratione atque diſtributione in rem ſobria eius, quod habes: mox continentia atque parſimonia. Eorum quo magis ratio conſtet, haec quoque ſunt vtilia, quae ſequuntur. Cum neceſſariis tuis, cum curatoribus, adoleſcens, comparato: annua certa et praeſentia ex incertis facito. id primum familiae velut recte alendae experimentum habeto. Rationem ante ſic ducito, vt capitibus impenſae omnibus expletis, non nihil reliqui futurum appareat anno finito. Nihil in hoc lubrico aetatis mercator, nihil conducito, niſi numo praeſente. Miſeri ſunt, qui in ſpem caput obligant. Paruum eſt viaticum. at tu id parſimonia et ratione, ſi frugi es, magnum facito, quod potes: quod non potes, ne concupiſcito. Plerique ideo certe conturbant, aut difficultatibus rei pecuniariae magnis implicantur, quia maiora omnia ſpe praeceperunt, quam res eorum praeſtabat. Haec impedimenta peſtifera ſunt litterarum ſtudiis. Sed feliciter euitantur ab his, qui ex annuis certis diſponere, ac procurare ſumtus annuos, mature didicerunt: qui in ſpem fidem ſuam non alligant: qui ſciunt, quam magnum parſimonia ſit vectigal. Scis moderate vti vino: iam pone aureos nonnullos, quos taberna tibi toto anno non auferet. neſcis aleam:

pone

pone alios. fauces tuae calda bibenda, aut fumo herbae medicatae reciprocando, non iuuantur: nares non appetunt intertrimenta earum: pone item alios. Summa conficietur non contemnenda, quam, quia non profudisti, habes, etiamsi in arca conclusa non sit. Alius, qui minus te continens est, non habet id, quod habet: quia cito tabernae ac macellum auferent.

Secundum impensam conuersatio cum honestis regenda est. Ne vmbratilis fias, ne cito et in iuuentute morosus, scientiae sectator, caueto. vitam inter homines viuito. mores commodos vsu discito. Pestilens est adolescenti, nisi vices adsint, diuturna musei vmbra. In sole, in honesta domo, cum familiaribus haud malis, conuersator. sub disciplinam patrisfamilias, si honoratus est, si experiens vir, te dato. molestias ferendi arbitrii alieni ne fugito. Sub his enim molestiis moratior indies adolescentia enitescit. Vt imperare aliquando scias, parere discas. Et est haec certe inter externos morum officina, in qua commoditas illa atque elegantia elaboratur, quae, si adsit, reliquam vitam commendat, magnasque saepe inter homines res leui negotio transigit: sin absit, vt abest non raro doctis hominibus: sin agrestis acerbitas pro comitate appareat, reliquae bonae artes, quae insunt, obscurantur, et rerum gerendarum opportunitates in congressu cum aliis effunduntur. Commodis moribus et bello vultu homo, in aliquem non insulsorum consessum vbi venit, mentes omnium sua specie, tanquam si bonus ac salutaris genius appareat, ad laetitiam erigit. Morosus contra ac difficilis, aut rusticitate quadam rudis et odiosus, sit licet alioqui vir fortis ac praeclarus, vt pestilenti sidere omnes, ad quos accedit, afflat, atque in tristitiam inuitos conuertit. Exspectant enim aliquod inconueniens ac prauum ab eius imperitia dictum vel factum, quod rationes omnium laetitiamque diei conturbet. Vocabunt igitur illum atque ambient homines, propter aliquas artes, quae in ipso eminebunt, necessitate, non voluntate, atque vt vetere prouerbio in domum regiam camelus vocatur, oneris ferendi caussa. Ea re fit, vt qui virtute alia doctis viris multo sunt inferiores, sed triti actu rerum et commodi effecti, gratiosi prae illis saepe habeantur. Est in hoc negotio accusanda nonnulla parentum neglegentia. Errore enim, cum suorum peccata prae amore non videant, aut imperitia rerum, plerosque in vitam academicam comitatis et elegan-

tiae

tiae rudes extrudunt. mox eos in hoc biuio, in hoc incerto discrimine, immensa libertas opprimit. Melius fere in aliis artibus constitutum, vt nemo sibi permittatur, aut aliis regendis praeficiatur, nisi qui diu paruerit. Hic subita res superuenit insuetis: quae est profecto emollienda quadam imagine potestatis patriae, sub qua se teneri aliquo tempore bona ingenia non grauabuntur. Volent potius, vt vitae discant idonea: vt habeant, qui se commodos et comes, frequenter admonendo, reddat. Est enim res ea talis, vt e sermonibus magistrorum, aut e libris legendis, addisci vix possit. Non multum conducent moribus emendandis, vel Batavi olim vrbani de Ciuilitate libellus, vel Itali Galateus, vel Saxonis non inscitum figuratis iocis carmen, vel Gallorum copiosa hac de re scripta. Non, quia nulla ibi idonea praecepta extant: vbi sunt sine dubio proba pleraque: neque quia nimium saeculis ac populis diversis variatur: nam sunt multa ex his quoque natura eadem et adhuc non mutata: sed quia vix intelleguntur, neque permouent lecta: ducunt ac rapiunt deprehensa in vitae vsu. Animo quidem recte composito, externa ferme sequentur, fient que decora, quae ille satis per se figurauerit. Sed tamen aliqua custodienda sunt extra, quae capitibus suis generatim proponemus. Commoditas illa atque elegantia in congressu cum aliis poscit decoram faciem ac vultum: statum et incessum: habitum ac vestitum: et sermonem denique. De singulis ista valebunt. Vultus animi verecundi imago esto: inepti quidquam, aut tristitiam, ne habeto: nihil cupidum, iracundum nihil ostendito. stupor abesto: exercitatior paullum in homine docto appareto. modestiae signa impressa habeto. status esto non leuis: non varius: non gladiatorius. staticulos dare, caueto. incessus moderatus esto. Corpus lautum habeto, et curatum hactenus, ne quenquam offendat. vestitus, cultus, ornatus appareto hoc fine, vt in neutram partem conspiciare: neque splendidus, neque sordidus: neue cascus, neu bellus et affectans nouos cultus. Tralatitia sunt, alas, os, dentes ab omni illuuie defendi oportere, ne quis odor exhalet. Adiungi his hoc tempore poterunt, fauces ac nares quorundam, qui graminum externorum aut fumo iuuantur, aut ramentis pituitam conciunt. Nam horum quoque in vsu immodico halitus, nisi munde habeantur, offendit. Neque spreueris illa, quibus Periplectomenes apud Plautum se iactat,

Minime

Minime ſputator, ſcreator, minime mucidus, et quae ſequuntur alia ſcitiſſima. Sed illa omnia parua ſunt prae ſermone, quem hae fere leges moderantur. Non quae dicas prius, quam quae taceas, diſcito. auſcultato modeſte, quaerenti ſimilior, quam ſcienti ac dicturo. Sententiam rogatus, verbis paucis e pectore ſedato rectam expromito. verboſus ne eſto, praeſertim vbi te adſpicient graues aetate ac meritis viri. nullus tui oſtentandi inter potiores locus eſt. illis praeſentibus multorum verborum adoleſcentem, qui aiat, qui neget, vt lubet, depoſitum habeto.

Hoc pacto vbi in annum lex certa honeſtae cum litteris conuerſationi ſcripta fuerit: dies etiam forma ſimili, e conſilio praeceptoris, diſponendi ſunt. Complectemur paucis praeceptis, quae fuerint potiſſimum agenda, a primo mane ad veſperam. Matutinus in opere eſto. oderunt artium numina ſomnolentos. foco et caldae potu moderate vtitor. eneruant iſta et obſunt negotiis. foris grammaticos, foris rhetoras adito: foris coenato. vtilius hoc famae ac ſalubrius. Coena coquitor in amica potius honorati viri domo, quam in taberna. Fabulae conuiuales inter homines haud malos plurimum conferunt ſcientiae ac moribus. In oblectamentis capiendis ne facito tuae ſpontis vt ſis, vel vt ſolus vtare. Vtiliſſimum eſt huic aetati, ſub aliquo imperio contineri: pernicioſa autem ſolitudo. In publico bene compoſitus ac per ſilentium agito. Adſuetudinem eorum, quos ſupra tetigimus appetitus ex ritu, niſi contraxiſti, ne affectato. multa vſus emollit, aut fert ac poſcit confirmatior atque ſenilis aetas. at pectori iuuenili iſta inimica ſunt. Deambulationes laborioſae ac frequentes ſunto: honeſtis cogitationibus omnes intentae. non potando, non alia leuitate corrumpuntor. Acto interdiu opere, vbi veſper venerit, luminibus remotis, familia conticuerit: cotidianas diligenter ad deum ſeruatorem ſupplicationes, gratulationesque: mox iſta vt facias, memento. Rationes actorum toto die tecum apud animum non oſcitanter exigito, ſiue ſecundum illam ſapientiſſimam Pythagorae legem, Πῆ παρέβην, quae ſequuntur; ſiue ad exemplum formulamque Flacci, Cum lectulus, aut me porticus excepit. Etiam, qui nullam diem ſine linea, ex Apellis praeſcripto, acturus es, diurna eorum, quae feceris, quae cogitaueris, quae omiſeris, ſaepe conſcribito. At ieiuna illa primo atque inepta apparebunt inſcientiaeque plena. Ne

time.

time. Nihil iſtud ad rem attinet. vtilia animo regendo ac vitae ſemper exiſtent.

Cum haec recte ſeruata fuerint: cum ad metam labores acti ſpectabunt, futurum eſt, vt aliqua praeterea adſinia his rectis moribus inſtituta teneas, his admodum verbis explicanda. In luce ciuitatis bonae, in que ore hominum, factis laudandis verſator. Propter hoc ingenii ac dexteritatis adquiſitae documenta legitima ſubinde edito. Colloquiis publicis, quae tentandae virtutis cauſſa habentur, modo defenſor, modo contradictor, quantum poteſt, intereſto. Scribendo quoque nonnihil, et recitando, atque, vbi occaſio tulerit, declamando, vt in oculis ciuium bona mens verſetur, facito. Specioſa conſpici aequum eſt. Malo more fit, quod ab artium vniuerſitate quisquam refert pedem, niſi qui ſit his rebus omnibus exploratus. In id publicam teſtimonii fidem ne ſpernito. Hoc demum ornatus, tirocinium recte atque ordine poſueris. Datur autem iſtud per gradus legitimos, quos conſcendas more maiorum oportet, vt aliquo honoris guſtu ad capienda adultae virtutis praemia inuiteris.

Vetus hoc, et ſine dubio honorificum ſcholaſticorum hominum inſtitutum, magna cum ratione inuentum eſt, atque ideo ſalubriter, cura grauium doctiſſimorumque virorum, in hac praeſertim vrbe, integrum atque illaeſum cuſtoditur. Ingeniis illud conducit excitandis, atque ad probabilem induſtriam acuendis. Cognoſcitur explorando praeclara in paucis indoles, eaque experimento publico oſtenditur et rectis bonarum rerum in ſtudiis vehementer confirmatur. Deinde famae optimae hic eſt velut ingreſſus, cui mature proſpiciendum eſt, neque neglegenda populi de talibus opinio. Adiuuatur enim laus publica cum iudicio intellegentium certo, tum exiſtimatione incerta, ſed ſaepe non falſa, imperitorum. Eſt porro iſtud quoddam pulcrum obſequium, quod inſtitutis maiorum praeſtatur, etſi fieri poſſit, vt aliquae eorum cauſſae nos hodie fugiant. At certe propter fidem, et aequitatis cauſſa, adſpirare ad hoc teſtimonium crediti pro merito honoris omnes debent. Nam intutum apud alios quoscunque foret, haberi quenquam in artificio tam graui artificem, niſi qui legitime ab idoneis cognitoribus tentatus ſit: iniquum autem, nullis morum ac doctrinae ſponſoribus, rempublicam ab incognito capeſſi. Non eſt nouum,

quibus-

quibusdam reprehensorum leuium cauillis rem honestissimam pulcherrimamque traduci. Ante ducentos annos talia, teste Melanthone, iactabantur. Sed in honore hic semper fuit, stetitque adhuc, stabitque, dum haec sancta doctrinae ac sapientiae communitas probis legibus comprehensa subsistet. Neque adeo deerunt, qui ad hunc virtutis ac honoris veri veterem celebremque mercatum, ingenio ac modestia pretium, quo emant salutaria, ferentes, frequenter omni tempore confluant. Eius rei non aliud esse argumentum certius potuit, quam honestus hoc quoque anno numerus eorum, qui doctrinae nostrae et liberalium artium dignitatis se candidatos professi sunt. Illi vero, numero XXVI, indole et moribus, et partim nonnullis facultatis suae speciminibus editis, antea commendati, ordinis nostri adeundi cum copiam habuissent, honores hos, vt Magistri philosophiae creentur, tanquam aliquem debitum industriae suae fructum, legitime petierunt. Secundum quae, ex praescripto optimorum sapientissimorumque Principum, qui hanc societatem doctrinae condiderunt ornaueruntque, et ad hunc diem defendunt, neque non ex more a maioribus constanter tradito, nos quidem profectum eorum, siquem in humanitatis litteris, si liberalium artium reliquarum, si philosophiae in studiis fecerant, explorauimus, cumque quaestionibus nostris satisfecissent, decreto ordinis dignos iudicauimus, quibus honores philosophiae summi pro more ac ritu mox conferantur. Sunt autem haec eorum nomina.

IOHANNES GOTTHELFF KVPFER,

Zopauia Misnicus, Philosophiae Baccalaureus.

IOHANNES ANDREAS CRAMERVS,

Ioestadio Misnicus, Philosophiae Baccalaureus.

IOHANNES ADAMVS MVLLER,

Dresdensis, Philosophiae Baccalaureus.

IOHANNES FRIDERICVS KLETT,

Curia Baruthinus, Philoſ. Baccalaureus.

FRIDERICVS AVGVSTVS KVHL,

Annaburgo Saxo, Philoſ. Baccalaureus.

IOHANNES CHRISTIANVS LEVSCHNER,

Galentia Miſnicus, Philoſ. Baccalaureus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS OECHLITZ,

Lipſienſis, Philoſ. Baccalaureus.

CHRISTLIEB TRAVGOTT BIERLING,

Luppa Miſnicus, Philoſ. Baccalaureus,

IOHANNES AVGVSTVS BACHIVS,

Hohendorpio Miſnicus, Philoſ. Baccalaureus.

CHRISTIANVS BECK,

Hirsfelda Miſnicus, Philoſophiae Baccalaureus.

IOHANNES GOTTLIEB HERMANN,

Plauia Nariſcus, Philoſ. Baccalaureus.

IVSTVS CHRISTIANVS GRABENER,

Miſnena Miſnicus, Philoſ. Baccalaureus.

IMMANVEL ERNESTVS HERTEL,

Kirchberga Miſnicus, Philoſ. Baccalaursus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS KRAVSIVS,

Delitio Misnicus, Philos. Baccalaureus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS HVBLERVS,

Olsnitio Nariscus, Philos. Baccalaureus.

IOHANNES THEODORVS LINCKIVS,

Torgauia Saxo, Philos. Baccal.

LVDOVICVS GVLIELMVS IVNIVS,

Lipsiensis.

ANTONIVS RVDIGERVS,

Lipsiensis.

GEORGIVS AVGVSTINVS ACKERMANN,

Vualdkircha Nariscus.

FRIDERICVS GOTTLOB IACOBI,

Lipsiensis.

ERNESTVS GOTTLOB BOSE,

Lipsiensis.

MARTINVS GOTTLIEB PAVLI,

Lauba Lusatus.

IOHANNES GOTTLIEB SCHMID,

Lipsiensis.

FRIDERICVS GVLIELMVS SACHSIVS,

Lichtensteina Misnicus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS IVNGERVS,
Chemnitio Misnicus.

FRIDERICVS ADOLPHVS LVDVVIG,
Lengefelda Misnicus.

His in solemni panegyri renunciandis dies de sententia ordinis nostri dictus est, XXV. Februarii. Quo die, horis quidem consuetis ante meridiem, vt in Auditorio Philosophorum interesse eorum nouis honoribus velint, *Rectorem Academiae Magnificum*, *Celsissimum Principem*, *Illustrissimum Landgrauium*, *Illustrissimos Comites*, *vtriusque reipublicae Proceres grauissimos*, *Generosissimos*, *nobilissimos que academiae ciues*, officiose ac decenter inuitamus. P. P. Dominica Sexages. d. XXI. Febr. a C. N. CIƆ IƆCC XXXXV.